

29 Disp.II. Part.III. de varijs mat: I. difficult. 30

Tertia. ret aliquem actum, sequeretur quod ex materia, & forma substantiali non fieret unum per se.

Tertia. Cum materia prima dicitur pura potentia, illud additum includit negationem omnis actus, quod autem dicatur pura potentia, colligitur ex pluribus Aristotelis, & Commentatoris testimonij, in primo enim de generatione essentia materia prima constituitur in solo posse, quinto Physicorum ait Aristoteles materiam esse non ens actus, sed tantum potentiam, item Commentator de substantia orbis ait materiali substantiari per posse.

Quarta. Diuidit Aristoteles ens in actum, & potentiam, membra autem diuidiuntur non se debent continere, ergo potentia excludit omnem actum, igitur cum materia sit potentia, nullum habebit actum.

Quinta. Nullus est actus absque esse, quia nihil habet actualitatem nisi in specie, nam & ipsum esse est actualitas omnium rerum, sed materia non habet esse nisi per formam, vt ait Averroes secundo sua Metaphysica, ergo &c.

Sexta. Materia Physicæ est omnino simplex, ergo vel tota est actus, vel tota potentia, quia simplex entitas non potest constare ex actu, & potentia Physica, at non potest dici, quod sit omnino actus, cum sit essentialiter potentia, ergo est omnino potentia nihil actus includens.

Septima. Non est dabis actus realis entitatius, nisi determinatus ad aliquam speciem: sed materia de se ad nullam speciem est determinata, ergo in ea nullus est actus entitatius. Minor probatur, quia cum res determinetur ad speciem performant, & materia de se habeat potentiam ad omnes formas, sic nullo modo potest determinari ad villam speciem, maiorem supponit ut veram Ruuius, qui pro sua opinione stabilienda dicta ratione vitetur.

Octava. Aristoteles primo Physicorum textu 69. ait materiam primam perinde se habere in toto genere rerum naturalium, atque lignum in toto genere artificialium, at lignum non est aliquis actus, nec forma artificialis, ergo nec materia erit aliquis actus. Item ait Aristoteles, quod materia non sit ens quasi hoc aliquid, ergo nec habet actum.

Nona. Si quæ ratione materia diceretur actus, diceretur ut est ens, at non potest dici ut sic, alioquin omne ens esset actus, ensque, & actus conuerterentur, quod falsum est, cum Aristoteles diuidit ens in actum, & potentiam, unum autem membrum diuisi non adaequat reciprocatur diuisio, ergo non omne ens est actus.

Decima. Si quis actus entitatius concedendus sit materia, vel est ut haber differentiam, vel ut haber existentiam, vel ut est ens, non primum, quia cum materia non distinguat, neque ponatur in aliqua determinata specie, non potest dici habere differentiam, quod vero non habeat existentiam, probabitur postea;

neque ultimum dici potest, quia si materia ut est ens, sit actus, ergo est actus alicuius potentiae: sed nulla potest dari talis potentia. Quod si respondeant Scotistiæ esse actum potentia obiectiuæ, sic vrgebis: non dicitur potentia obiectua, nisi in ordine ad causam efficientem, at res determinant solùm actionem causæ efficientis secundum existentiam, non autem secundum essentiam, ergo non potest dici, quod huiusmodi entitatius actus sit proprius materia.

Vndeclima. Illud non est de intrinseca ratione materia, neque illud reperitur in materia prima, quod non ponitur in eius definitione: sed actus ille entitatius non ponitur in definitione materia, nam definitur materia, primum subiectum, &c. in qua definitione nulla fit mentio actus, benè tamen potentiae.

Duodecima. Actus entitatius est realis, & *Duodecima.* transcendens, non potest autem dari extra causas, nisi in particulari determinetur per aliquem actum particularem, sicut non est dabiliis potentia in communi, qua non determinetur per potentiam in particulari, sed materia non determinatur per aliquem actum in particulari, nisi per ipsam formam, ergo actum, quem habet materia prima, habet à forma, quia non datur entitatius actus, qui non sit actus alicuius speciei, sed quod est alicuius speciei, hoc habet à forma, ergo quemcumque actum habet materia prima, cum habet à forma.

Decima tercia. Et est ratio Ruuij: Ideò *Decima tercia.* Scotus vult materiam primam habere actum entitatiuum, quia est ens extra causas: sed hoc fundamentum nullum est, probátque Ruuius, quia entitas extra causas abstrahit ab actu, & potentia, nam ex Aristotele quinto, & sexto Metaphys. diuiditur ens extra causas in actum, & potentiam, ergo non bene infertur ex eo, quod aliud sit extra causas, quod habeat aliquem actum.

Decima quarta. Quod non est scibile nisi per analogiam ad formam, non habet actualitatem, nisi à forma, sed ut vulgo dicitur materia prima non est scibilis, nisi per analogiam ad formam, ergo actualitatem, quam habet, à forma habet, maior probatur: nam res in tantum est scibilis, in quantum habet actualitatem, ergo si non sit scibilis de se, nec habebit actualitatem de se.

Decima quinta. Ita materia est prope nihil, *Decima quinta.* ut nihil sit ipsi nihilo propinquius: sed si aliquo modo esset actus, possemus nobis aliquid imaginari propinquius nihilo, scilicet si imaginatur materiam esse tantum in potentia, ergo materia nullo modo est actus.

Decima sexta. Si materia esset quædam *Decima sexta.* actualitas, de ea possemus verificare hanc propositionem, *materia separata à forma est actus,* sed hoc non: nam tantummodo possemus dicere, *materia est actus,* ergo materia non est quædam actualitas.

Decima septima. Materia prima non est *Decima septima.* corpus, B 2